

/ Illustris et R^{de} Domine, in Christo frater.

Literas tuas communicavi cum magistro cubiculi Summi Pontificis, ut eas eidem Pontifici legeret. Id ille fecit, sed literas mihi nondum restituit, etiamsi continuo restitutum se promiserat.

5 Haec causa est, cur tamdiu respondere distulerim. Ago igitur gratias, quod nos de rebus quae istic geruntur ab optimo et coelitus dato episcopo Bambergensi certiores reddere voluisti; sed ex animo doleo, quod tam parum possim in adiuvanda causa communi catholicorum, et in specie in iis quae ad episcopum et principem vestrum
10 pertinent, tum in causa praepositurae, tum in aliis. Caeterum spero bonam voluntatem meam et à Deo, et ab hominibus pro facto accipiendam, quando aliud non possum. Vale miles Christi egregie, certa bonum certamen fidei, et securus expecta coronam iustitiae; et me, ut facis, ama, et apud Deum precibus tuis iuva. Roma, die 12 iunii 1610.

Admodum R^{dae} Dom. V.

frater in Christo

Robertus Card^{lis} Bellarminus.

D. Io. Fornerus, vicarius generalis Ill^{mi} et R^{mi} episcopi Bamber-
20 gensis.